



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

R. P. Ioannis Azorii Lorcitani, Societatis Iesv Presbyteri Theologi, Institvtiones Morales

In Qvibus Vnivers[a]e Qvaestiones ad Conscientiam recte aut prauè
factorum pertinentes, breuiter tractantur

Azor, Juan

Coloniae Agrippinae, 1612

9 Quibus in causis fructus pignoris in sortam minimè computentur.

urn:nbn:de:hbz:466:1-14014

Hinc licet intelligere, quid sit dicendum, quando creditor sua industria, & diligentia multo plures, & maiores fructus ex pignote percipit, quam pignus apud debitorem reddere solum fuerat. Eos enim fructus computare in sortem cogitur creditor, cum omnes sint fructus pignoris: semper tamen potest deducere, quantum suæ industriæ, & diligentia debetur.

Secundò queritur, An creditor debeat in sortem deducere fructus pignoris non solum perceptos, sed etiam percipiendos, hoc est, quos ipse idem creditor, adhibita diligentia percipisset?

Dux sunt opiniones, quarum prima negat esse in sortem computandos, eam sequitur Hostien. in Summa tit. de pignor. nu. 9. vers. Sed numquid creditor. Anton. in cap. Cum contra, de pignor. Ratio eorum est, quia nusquam ius Canonicum habet, ut fructus percipiendi computentur. Nam cap. i. & cap. Quoniam. & cap. Congestus, de usur. his, inquam, in locis solum legimus, fructus perceptos computari debere. Adde, quod creditor est possessor bonæ fidei, hic autem solum debet restituere fructus perceptos, cum contra, possessor malæ fidei & perceptos, & percipiendos fructus reddere ipso iure compellatur. Insuper æquum non est, ut creditor necessario soluat fructus, quos nouit percipere, quia industriam suam, & curam in ea re collocare sua sponte recusauit; alioqui enim cogetur reddere fructus plures, & maiores, quos maiori industria, & diligentia posita collegisset.

Affirmat secunda sententia, eos etiam fructus esse computandos, quam multi probauerunt, Glossa in primis, & Io. Andr. Calder. & Panorm. in cap. Cum contra, de pignor. Ang. in verb. Pignus nu. 12. Rosel. nu. 8. Silu. quest. 11. Artil. nu. 6. Nauarr. in Manuali. cap. 17. nu. 216. Et hæc opinio magis ad veritatem accedit, & magis cum ipso iure congruit. Nam in l. Creditor. C. de pignor. actione maxime habetur, ereditorem computare fructus debere, quos percipit ex pignote, vel percipere debuit. Item dicitur in l. Cui pignoris. C. de partu pign. & omni causa.

Verum dubia questio est, quinam sint huiusmodi fructus computandi, hoc est, An fructus, quos creditor dolo latae culpa percipere desinit, an verò ii, quos leui sua culpa non percipit? Respondeo, in hoc consistere duas præfatas opiniones, omnes enim auctores in hoc vno consentiunt, debere ereditorem in sortem computare fructus, quos dolo, vel lata culpa sua non collegit. At dissentiunt in eo, quod Hostienus putat non esse in sortem computandos fructus, qui ex leui culpa creditoris percepti non sunt; at ceteri auctores volunt eos etiam fructus in sortem computandos. Atque hæc est probabilior opinio: quia, ut pollice dicemus, creditor tenetur non solum ex dolo, & lata culpa, sed etiam ex leui, quamuis non ex leuissima, quia contractus pignoris est gratus utriusque, creditoris, & debitoris, & ideo fructus, quos ex leui sua culpa non cepit, et imputare debet, non tamen eos, qui ex leuissima culpa percepti non sunt.

Tertiò queritur, Quid sit dicendum, quando creditor habet domum debitoris sibi pignoratam, in eaque habitat, quam pensionem debeat in sortem computare, eam ne, quam ipse soluisset pro domo, quam alioqui conducturus erat, an verò eam, quam accepturus fuerat ab alio conductore, cui domum illam locasset?

Dux sunt opiniones. Prima, eam pensionem affirmat computari in sortem debere, quam ipse creditor soluisset pro domo, quam conducturus erat ad habitandum: ita Speculator, tit. de pignoribus. §. 2. & Glossa in l. Si is, qui vna. ff. de pigno. Negulant. tract. de pignor. par. 1. memb. 5. num. 7. Ratio eorum est: quia creditor, nisi habitasset in domo sibi pignori data, fuerat aliam conducturus ad habitandum: ergo debet in solutionem computare pensionem quam soluisset pro domo, quæ ad habitandum erat conducturus. At Panorm. cap. Cui contra de usur. Silu. in verb. Pignus, qu. 2. Ang. eod. verb. nu. 13. sententiam debere in solutionem computare pensionem, quam accepisset ab alio, cui eam domum locasset. Id

probat Panorm. ea ratione. Quia satis est, inquit, si soluat pensionem, quæ solet ab aliis conductoribus solui: non enim est creditor deterioris conditionis, quam quilibet alius conductor. Ergo quemadmodum si creditor alteri domum locasset, cogetur eam pensionem, quam accepisset ab illo, soluere: sic etiam si creditor retineat sibi domum, non tamen pignoris acceptam, causa habitationis sufficit, si soluat pensionem conluetam. Et hæc sententia videtur probabilior. Sed quid si creditor nullam domum conducturus erat habitandi gratia, cum propriam haberet, & nihilominus voluit in domo sibi oppugnetata habitare, debet ne pro soluta habere eam pensionem, quam accepisset, si eam domum alteri locasset? Quid in respondenti, non esse eam pensionem pro soluta habendam, quia in hil lucr. fecit creditor ex eo, quod habitauit in domo sibi oppugnetata. Ego tamen dicendum existimo, eam pensionem esse computandam, quia, ut dixi, creditor cogitur fructus pignoris restituere, quos ex dolo, vel culpa lata, aut leui non percipit percepturus alioqui: ergo cum adessent alii conductores, quibus posset eam domum locare, sibi in putet: quod eam minime locauerit. Unde nihil refert, quod domum propriam reliquerit, siue aliis commodando, siue mercede locando: sed quid si nullus adsit, qui eam domum loco pignoris acceptam conducere voluerit, & ideo creditor habitauerit in ea, ne deformaretur abiq; habitatore relicta? Respondeo, nihil tunc temporis restituere eum debere, quando diligentia, quam debebat adhibita, conductorem non inuenit, quamuis inuenit, qui propriam ipsius domum conducere: licet enim potest, ut domus propria conductoris, tanquam commodior, aut in commodiori loco sita, conductores habuerit, quibus caruerit domus loco pignoris acceptæ.

Quid si creditor oppugnetatam domum alteri locauerit minori mercede, quam potuisset accipere à conductore? Respondeo, si alius conductor maiorem pensionem offerret, cui creditor noluit domum locare, eam debere pensionem soluere, si id fecit dolo, vel culpa lata, aut leui, non tamen si ob iustam causam, & bonam fidem fecit. Si vero nullus alios conductor maiorem mercedem offerret, tunc licet sit, si in sortem computet eam pensionem, quam accepit à conductore: secundum eam estimationem, qua conducti, & locari passim domus solebant ad habitandum.

Quibus in causis fructus pignoris in solutionem minime computetur.

CAPVT IX.

IN iure Canonico assignantur quedam causæ, in quibus creditor minime cogitur fructus pignoris in sortem computare. Glossa in c. Congestus, de usur. lex, septemue causas enumerat, & Panorm. in eo cap. ad 12. extendit. Sed reuera omnes illæ causæ ius commune continent, non speciale, quia ratio eius, quod interest creditoris, fructus pignoris retineri queunt, nec domino debentur. Vnde tres tantum speciales causas referemus.

Prima causa illa sit. Quando maritus pro dote uxoris sibi promissa, loco pignoris recipit prædium, fundum, vel domum, vel aliam rem, ut ex ea fructus colligat, donec promissam sibi dotem accipiat, huiusmodi fructus facit sub martus, nec eos cogitur in sortem computare. Ita est definitum in l. Pater. ff. Doli, mali, & met. excepti. & in c. Salubriter, de usur. de qua re multa apud Ang. usur. l. nu. 25. de eadem re. Rosel. eod. verb. nu. 23. Siu. usur. 3. q. 2. & seq. Artil. eodem verb. nu. 22. Gab. in 4. dist. 15. q. 11. ar. 2. concl. 4. Maior eodem lib. & dist. q. 31. vers. Tertius casus. Almain. item in 4. rad. dist. quæst. 2. Actian. in 4. de restit. q. de usura §. Sed dubium. Contrad. de contract. quæst. 35. concl. 7. Medi. de reb. per usuram acquis. quæst. 2. §. Ad cap. Salubriter. & quæst. 3. vers. Prima igitur. Sanctus Antoninus par. 2. tit. 1. ca. 7. §. 32. vers. §. Queritur etiam. Caieta. 2. 2. quæst. 78. ar. 7. ad 8. Sotus lib. de iusti quæstion. 1. ar. 2. ad 2. Nauarrus in com-

ment. de usur. nu. 64. in Manuali cap. 17. nu. 213. Sec. 273. Couart. lib. 3. variat. res. fol. cap. 1. Bart. Bald. Inola. Decius, & alii: de quibus ibidem. Couart. item Innocent. Hostien. Ioan. Andr. Calder. Anton. Anchar. & Panot. in cap. Salubriter de usur. Laurentius Rodolphus de usur. in cap. Consuluit. par. 2. q. 53. Ioan. Bapt. Lupus de usur. in commen. 4. nu. 73. 74. & seqq.

Est igitur certi iuris, maritum non cogi ad computandos in sortem fructus pignoris sibi dati loco dotis promissæ, & nondum solutæ. Verum, quæ nam ea sit ratio iuris, videndum est. Sunt enim qui dicant, hoc esse causam, & fauore dotis institutum: sed hæc sententia, communi Doctorem consensu confutatur, & merito, quia usura, est naturalis, & diuino iure damnata. cap. Super eo, de Usur. ergo etiam dotis causa excusari minime potest. Adrian. in loco praallegato, & Anton. in cap. Salubriter, de usuris sententiam, id esse permittit iure communi ratione damni, quod patitur, siue oneris, quod sustinet, vel denique causa eius, quod interest mariti, qui si dotem accepisset, fructus inde percepisset, vel sua industria, & diligentia negotiando, vel tradendo eam mercatori pro aliqua pensione annua sibi soluenda.

Verum hæc etiam opinio tamen rejicitur à cæteris, quia reuera in cap. Salubriter Pontifex id non tanquam iure communi concessum, sed tanquam iure speciali permittit assinat. Accedit, quod si maritus ratione lucri cessantis, id iuris haberet, inde ferret ut si negotiaturus per se, vel alium non esset, fructus non faceret suos. Attamen idem docet, quod communis sententia. Nam specialis ratio, quæ in cap. Salubriter redditur, ea est, quia maritus est vxori obligatus ad eam sustentandam, & ad sustinenda onera matrimonii. cap. per vestras, de donat. inter vir. & vxor. Et l. Si cum dotem §. Si autem ff. Solutio matrimonii, & ideo propter huiusmodi onera sibi acquirit fructus pignoris, donec promissa dos illi persoluitur. Dos enim viro datur, ut ex eius fructibus vxorem alatur, & matrimonii onere suscipiat, & sustentet: quam dotem nihilominus debet integrâ, & saluam conseruare, & tueri. Ergo dum illi solam promittitur dos dato pignore, donec soluitur, sit quædam permittitatio: nam licet loco dotis, quam statim tradere cogebatur, dat fundum, & gener loco dotis percipit fructus fundi.

Ex his tria colliguntur. Primum, esse necessarium, vt maritus alimenta vxori præbeat, & alia matrimonii onera recipiat, & ferat: alio qui fructus pignoris sibi non lucratur, vt tradit communis opinio Doctorum.

Secundò, vt mento sit dos promissa simpliciter: nam si inter ipsum, & socerum, ab initio conueniat, vt dos non nisi ad certum tempus tradatur, tunc gener fructus pignoris non facit suos, eo quod sua sponte consentit, vt dotis solutio ad tempus differatur: ergo suo iure cedit. Nam vt vitro potest sine dote vxorem ducere, sic eam accipere, prærogata ad tempus dotis solutione: nisi expresse sit inter se velle aliquid loco dotis ad tempus dilatare, vt in cap. Salubriter. ait Panorm. quem sequuntur Ang. & Silu. quamuis oppositum docere videatur Couat. cum Bald. & Cagn. sed reuera non docet.

Quod si gener accepit pignus, & postea liberum socero reliquit, vt ad tempus, dotis solutionem differat? Respondeo cum Abba. Silu. & Soto, etiam nunc sibi fructus pignoris generum acquirere, quia videtur id fecisse secundum iura. Et hoc est, quod etiam docuerunt. Bal. & Cagn. & Couart. lib. 3. variat. res. fol. cap. 1. num. 2. Et cap. 4. illat. 8. Tertio, quando cumque fructus, quos percipit gener ex pignore, sunt plures, aut maiores, & vberiores, quam postulent onera matrimonii, & alimenta vxori debita, debet in sortem computare id, quod excedit, & superat.

Cæterum nonnulla super hac re, quam nunc attingimus dubia sunt inter Canonici iuris Doctores. Primò, An gener possit cum socero pacisci, vt donec sibi promissam dotem soluat, certam pensionem pecuniariam in singulos menses, vel annos reddat.

Dux sunt opiniones auctorum, quorum alii, vt Io. Andr.

Anton. Io. Lignan. in c. Salubriter. & Laur. de usur. par. 2. q. 53. negant pacitionem esse licitam, nisi pensio in sortem computetur, quia in eo c. Salubriter, Pontifex nihil prorsus de huiusmodi contractu decernit. Et quia fructus fundi sunt incerti, aliquando maiores, aliquando minores: ac pensio annua est certa. Deinde, quia tunc videtur gener an noam pensionem accipere ratione solutionis ad tempus expectata. At verò Cald. Anch. & Panot. in eo cap. affirmant, id esse iure permittitum, huiusque sententia fuisse. Angel. Rosel. Silu. Sotus, Nauar. Couart. in locis supra citatis. Et reuera ita dicendum videtur: quia socer, vel dotem, vel aliquid aliud dare, vnde gener onera matrimonii sustentet, ipso iure compellitur.

Alterum in dubio positum, illud est, An hæres mariti defuncti, ad quem fundus quem loco pignoris maritus acceperat, deuenit, & qui vxorem relictam alit, possit, quemadmodum maritus, fructus fundi facere suos, eo anno, quo dotem restituere iure non cogitur, si ea sit in rebus mobilibus constituta, secundum l. i. C. de rei vxoria actio. hoc est, An sit idem iuris de mariti hærede, quod est de marito.

Dux quoque sunt sententia, quarum vna negat idem iuris esse, quam probant, & sequuntur Innoc. Hostien. Io. Andr. Anchar. & Panot. in cap. Salubriter. ex l. i. §. Exactio. C. de rei vxoria actio. Sic etiam videntur sentire S. Anton. & Ang. locis supra citatis, & Fortun. Gasia in tract. de vit. sine iuris, aliat. 6. Ratio eorum est, quia maritus ipso iure cogitur vxorem alere, & matrimonii onera suscipere, & sustinere. Sed hæres, ab hoc iure, & oneribus liber, & solutus est, ergo debet fructus pignoris in sortem computare.

At dices, Hæres, sicut maritus, vxorem relictam, aliq; matrimonii onera sustentat. Contra, quia ea onera, sua sponte recipit, & sustentat, sibi igitur imputet, siquidem id oneris potest quando voluerit imponere.

Altera sententia est asserentium, hæredem fructus pignoris facere suos, quia in eodem iure succedit, quod maritus habebat, & dotem saluam, & integram tueri, & seruare debet, ergo donec ei promissa dos soluitur, fructus pignoris acquirit sibi, ex quibus viduam relictam sustentet. Ita sentierunt Salicetus, Ioan. Lupus, Decius, Partius, Contad. Siluest. Nauar. quos citat, & sequitur Ioan. Bapt. Lupus. de usur. commen. 4. num. 82.

Pror sententia, meo quidem iudicio, videtur probabilior, si de iure speciali, quod est in cap. Salubriter, scilicet sit: attamen hæres ratione eius, quod sua in hereditate, fructus pignoris potest sibi retinere, quia viduam alit, donec dotem promissam recipiat.

Tertium, quod dubitabatur est, An quæ vxor relicta est, idem iuris habeat in fructibus, quod maritus. Pinguamus, viro defuncto, & vxori non solui dotem promissam a patre, aut non restitui ab hærede coniugis mortui, & eam vxorem pignus loco dotis accepisse, ex quo fructus percipit. Quæritur iam, an eos fructus locustat sibi, etiam quando aliunde habet, vnde se alere, & sustentare commode possit?

Dux sunt etiam de hac re sententia. Nam Innoc. Hostien. Ioan. Andr. Anton. Ioan. Lignan. in cap. Salubriter, negant sibi fructus vxorem acquirere iure speciali, quod in c. Salubriter continetur: inde probant, quia non est idem iuris de vxore, quod de marito, hic enim, dum illi dos promissa non soluitur, vxorem & onera matrimonii sustentat, & nihilominus ipsam dotem integram conseruare, iure compellitur: at verò vxor id oneris non sustinet: ipsius enim dos est, & de ea potest suo arbitratu statuere, ergo fructus pignoris debet in sortem computare. Cæterum alii censent, vxorem posse sibi fructus retinere, etiam tunc, cum aliunde habet, vnde se ipsam commode alatur, ac sustentet. Ita videntur docere Panot. in cons. 39. lib. 2. Ang. in verb. usur. 1. nu. 29. & verb. Dos ad fin. & verb. Pignus. n. 29. Silu. usura 3. q. 7. Sot. l. 6. de Inst. q. 1. ar. 2. prop. fin. Nauar. in Man. cap. 17. n. 216. Ita quoque Iaf. Soc. Cont. vt refert. Ioan. Lupus de usur. com. 4. n. 84. Quod probant ratione, quia dos vxoris, est loco alimentorum, ergo dum pater, vel hæres coniugis defuncti

Et dotem non soluit, aut restituit, filiam, siue uxorem alere compelluntur. Quare si ei loco dous fundum oppignerat, habet illa ius fructus colligendi, & faciendi suos. Sed cerè hęc ratio id solum concludere videtur, uxorem posse fructus pignoris, sibi sibi habere, & acquirere iure naturali, & communi, nempe ratione damni, quod patitur, ac sustinet, & causa item eius, quod sua interest, nam si dous illi solueretur à patre, aut restitueretur ab herede, ex ea fructus perciperet, quibus se alere posset: ergo ratione lucri, quod tenura esset habitura, fructus pignoris facit suos. Quare meo iudicio, si inscriptum in cap. salubriter, consideremus, probabilior est prima sententia. Ac si ius naturale, & commune, hactenus secunda opinio locum habet ratione damni emergentis, vel lucri cessantis.

Quartum, de quo controversia est inter Canonici iuris Doctores, illud est, An æqua, & iusta sint statuta civitatis, popolorumque, quibus decemitur, ut heredes mariti defuncti, donec dotem uxori viduę restituant, certam pensionem in singulos menses, vel annos illi solvant. Respondeo cum Abb. Angelo, Siluestro, Roselli, & aliis, quia esse huiusmodi statuta, & rationi consentanea, ut docent Io. Bapt. Lupus de usuris, commen. 4. nu. 90. & 91. quia eam pensionem vxor accipit non ratione mutui, sed lucri cessantis, ut iam dixi, vel damni emergentis.

Secunda causa, ex qua fructus pignoris non computantur in fortem, est. Quando fundus, vel domus, vel alia res similis datur alieni ab Ecclesia nomine, & iure feudi, quam rem deinde ipsa Ecclesia loco pignoris accepit ab eo, qui in feudum suscepit fundum: nunc fructus illius pignoris Ecclesia facit suos, donec ei integram debitum solvantur. Approbatur hęc causa in cap. de feudis. Et c. Conquestus, de usuris. Sed dubie questio est, quo iure Ecclesia sibi fructus pignoris acquirit, hoc nempe, num ex ipsa ne natura feudi proveniat, an verò aliunde? Glossa in cap. de feudis, dicit esse permissum gratia Ecclesię. Sed memò hęc sententia ab Ang. Silu. & Soto, & aliis cõfutat, quia Ecclesia usuras non permittit, cum naturali & diuino iure damnentur, ut habetur in cap. super eo, de usuris. Hoc igitur ius ex ipsius feudi natura, & substantia existit, & descendit, ut docet Hostien. & Panorm. in cap. de feudis. Ang. in verb. feudum n. 31. Silu. eod. verb. q. 29. Roelia vsur. n. 18. Gab. in 4. dist. q. 11. art. 3. conclus. 4. Casu 2. Maior eod. lib. & dist. q. 31. conclus. 1. Nam directum dominium rei in feudum datur in aere penes eum, qui rem dedit, ergo quando vtiè dominium ad eum reuertitur, directum cum vili consolidatur, quemadmodum ususfructus cum proprietate, cum ad proprium dominium redit. Instit. de usufructu. §. Cum autem finitus fuerit Balsam igitur est, quod dixit Henric. Hallia in tract. de Contractibus, par. 1. cap. 38. & 39. ut refert Gab. loco citato, hoc non esse ex vi, & natura feudi, sed quia Ecclesia ab initio rem dedit in feudum, sub ea conditione quia tunc habuit is, qui feudum suscepit.

Ex his inferitur, eum, qui rem aliquam feudi nomine, & iure habet, esse intem immunem, ac liberum ab onere, & obligatione, qua erat domino feudi obstrictus: deinde, hoc ius locum etiam habere in quolibet laico, qui alteri rem suam dedit in feudum. Sed quid, si vellet is, qui feudum suscepit Ecclesię inferuire, ut fructus in fortem computentur? Glossa cap. de feudis respondet, eum audiendum non esse. At Panorm. ibid. ait consensu domini expresso, vel tacito id posse feudatarium consequi & habere.

Queres, quid dicendum sit, quando res in feudum data, melior facta sit diligentia, & opera eius, qui accepit, vtrum fructus ex ea parte sibi debeantur? Respondeo cum Gab. & Soto, debent, quia sunt fructus, qui respondent curę, industria, & operę feudatarii.

Quid si aliquis rem in feudum habet pretio emptam, non donatam? Respondeo cum Ang. & Silu. tunc fructus feudi oppignerati, illi esse reddendos: quia feudatarius rem pretio comparauit, & proinde fecit suam.

Sed queres, idem ne ius est de re, cuius quis ususfructum habet, & simile similiter de re iure emphyteotico ac-

cepta? Respondent Hostien. & Ioan. Andr. cap. de studiis, non esse idem iuris, aut saltem dubium esse, ac prouide declaracione Sommi Pontificis indigere, quia licet plus oneris suscipit, & sustinet emphyteota, vel fructuarius, quã feudatarius. At Ang. & Silu. idem iuris esse affirmant, & hęc sententia videtur magis esse probanda.

Tertia causa, ex qua fructus pignoris restitui non debent, est hęc, quando nempe pignus censetur in bonis eius cui datur. v. g. vi, vel furto, clamue est liber tibi sublat, vel equus, quem fur vendidit, vel donauit alteri, & ille postea tibi pignori dedit pro pecunia, quam mutuam à te accepit, nullo iure cogens restituere fructus ex eo perceptos, quia ex te tua receperit, cap. de vsur. Eadem ratio est in commodato, vel deposito, ut puta, quando res tua fuerit tibi primo commodata, vel apud te deposita, quia tua res illa esse minime credebat: tunc enim fructus ex ea perceptos facis tuos.

De pactis, qua in pignoribus apponi solent.

CAPVT X.

EX TAT in lib. 8. Codicis tit. ordine 35. de Pactis pignorum. Et de lege commissoria in pignoribus residerenda. Est igitur in primis dubie questio, quæ pacta in pignoribus prohibeantur: de qua re Innoc. Hostien. Ioan. Andr. Panorm. Anton. Anchar. & alii in cap. Significante, de pigno. Bart. in l. 1. Et vlt. C. de pactis pigno. S. Antonio. par. 2. tit. 1. cap. 7. §. 26. Ang. in verb. pactum, nu. 18. Tab. eod. verb. q. 11. Roel. vsus. Inuelt in Rosa aurea, casu 28. Et in verb. Pactum q. 1. 4. Nauari in Man. cap. 17. nu. 204. Co. uar. lib. 3. varia. resol. cap. 2. nu. 7. Io. Bapt. Lupus de vsuris committ. 2. prefat. num. 13. Et seqq.

Prohibentur itaque in pignoribus omne pactum turpe, vel, quod iure naturali, diuino: vel humano damnatum est. Vnde inter pacta, quæ in pignoribus apponi nequeunt, est pactum legis commissoriae, quando creditor cum debitor pacifecit, ut si ad tempus constitutum, debitum non soluerit, non nisi satisfacere creditori, pignus cadat in ius, & dominium ipsius creditoris. Et dicitur pactum legis commissoriae, quia pignus cadit in commissum, debitum ad diem, praesentium non soluto. Est in modum commissoriae emphyteoticorum, & publicanorum, quarum meminit lex 2. C. de iure emphyteotico, l. 1. Commissoria ff. de publicanis, & vendigali. Insuper est in ius, quod in venditione, & emptione confueuerunt aliqui apponere. Exempli gratia. Vendit Titius Caio fundum, data, & accepta fidei de pretio sibi solvendi ea conditione, ut si Caius defignato tempore soluerit, fundus sit non emptus, aut pro non vendito habeatur, quod pacti genus in venditione, & emptione est iure civili approbatum. At verò idem pactum legis commissoriae in pignoribus, vtroque iure Civili, & Canonico damnatur. l. vlt. C. de pactis pignorum, Et cap. Significante, de pignoribus.

Sed cur in emptione (ut patet ex tit. ff. de lege commissoria) permittitur hoc pactum, in pignoribus non item? Respondent Ioan. Andr. & Panorm. in cap. Significante & Glossa in l. 2. Et vlt. C. de pactis pigno. quia venditor emptori iniuria, vel damno non afficit, si rem suam emptori vendat ea lege, ut si pretium tempore praesentium non soluerit, pro non emptum habeatur, & ad ipsum redeat. Ceterum pignus solet esse maioris estimationis, & pretii, quam sit debitum. Ergo pactum, ut pignus fiat creditoris pro debito est cum damno debitoris: cogitur enim plus solvere, quam debet, & minoris vendere rem suam, ac ideo meo iudicio, tale pactum, in pignoribus est etiam diuino, & naturali iure damnatum.

Sed quibus verbis contrahitur pactum legis commissoriae in pignoribus? Respondeo contrahi verbis directo, aut indirecto significantibus, ut pignus transeat in ius, & domi-